

Dissertatio medica de phantasia sive imaginatione / cujus veritatem tueri conabitur, in augustissimo Monspeliensis Apollonis Fano, Gabriel Moustelon ... ; praeside R. D. Joanne Astruc ... ; Die mensis Januarii anni 1723. ; Pro primâ Apollinari Laurea consequendâ.

Contributors

Astruc, Jean, 1684-1766.
Moustelon, Gabriel, active 1723.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspelii : Apud viduam Honorari Pech, Regis & Universitatis typographi, 1723.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a2ha2yk3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO 4 MEDICA

De Phantasiâ sive Imaginatione.

Cujus veritatem tueri conabitur, in Augustis-
simo Monspeliensis Apollinis Fano, GA-
BRIEL MOUSTELON, Olargiensis, Diœ-
cesis Sancti Pontii Thomeriarum, Art.
Lib. Magist. & Medic. Stud.

PRÆSIDE

R. D. JOANNE ASTRUC,
Regis Consiliario & Medico, in Almâ
Monspeliensium Medicorum Academia
Professore Regio, Regiæ Societatis Scien-
tiarum Socio & Thermarum Fontiumque
Medicorum Præfecto in superiore &
inferiore Occitaniâ.

Die mensis Januarii anni 1723.

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ.



MONSPELII,
Apud Viduam Honorati Pech, Regis &
Universitatis Typographi. 1723.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.

R. D. Franciscus Chicoyneau , *Cancellarius & Judex.*

R. D. Joannes Bezac , *Decanus.*

R. D. Petrus Chirac , *Serenissimi Principis Regni Administ. Archiater.*

R. D. Antonius Deidier.

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol.

R. D. Henricus Haguenot.

R. D. Jacobus Lazerme.

DOCTORES ORDINARIIS

M. Garrotus Fitzgerald.

M. Stephanus Hugues.

M. Franciscus Chicoyneau.





Brondes. Graueur. f. T.



ILLUSTRISSIMO

NOBILISSIMOQUE VIRO D. D.

PONTIO DE THESAN

COMITI DU PUJOL,

Baroni du Morcairol , Olargues ,
Boussagues , &c. Domino de Boisse-
son , Murat , Nages , Herepian ,
Mouresc , Broussou , &c.

REGIO AQUITANIÆ PRÆFECTO
in Rhutenâ Provinciâ.

VIR NOBILISSIME,

Dum coguntur Alii clientelas operosè
ambire , summæ mihi felicitatis fuit fa-
cilem & benevolum in Te Patronum nancisci

cujus nomine Academica meorum laborum
primitiæ tutiores in publicum prodirent. Ec-
quid enim optari potuit majus, quàm Eum
Mæcenatem habere, quem generis nobilitas
ab antiquissimis retrò temporibus, longâ cele-
berrimorum Avorum & Proavorum serie,
ducta; quem splendor & amplitudo Gentis,
quæ summum dignitatis gradum in hac Pro-
vincia semper tenuit; quem nominis aucto-
ritas, quâ ipse à virtute Majorum minimè
degener apud Rhutenos Occitanosque glo-
riosè vales, certatim decorant & com-
mendant? Ecquid verò felicius obtineri,
quàm Eo Fautore uti, cujus præsidio gestit
universa Familia mea, cujus clientelam

ambitiosè proficetur, cujus favorem & benevolentiam dudum experitur? Sanè oblatam ambiendi patrocinii occasionem letus arripui, ut Meam, ut summam Meorum omnium in Te observantiam & venerationem publicè testificarer. Neque verò, VIR NOBILISSIME, tam levi munusculo Tua in me meosque collata beneficia compensari temerè arbitror, imò potiùs pro acceptâ clientelâ novi beneficii titulo me Tibi devinciri lubens agnosco, ut qui tenuitatis meæ conscius, oblatis muneris exiguitatem probè sentiam, & tam tenuem Opellam tanto Nomine dignam non fuisse ultrò confitear. Velis tamen, quæso, VIR

NOBILISSIME, quæ tua est indita,
quæ tuæ Familiae propria semper fuit huma-
nitas, hocce quaecumque summi in Te ob-
sequii monumentum boni consulere, ac so-
litâ pergas benevolentiam Clienti favere &
patrocinari,

Jam addictissimo & obsequentissimo

GABRIELI MOUSTELON.

DISSERTATIO MEDICA

De Phantasiâ sive Imaginatione.

DUO de Imaginatione quærenda videntur, primò quæ sint præviæ corporis motiones, quibus in mente Idææ excitentur: secundò, quâ ratione ex pluribus Idæis simplicibus in unum aggregatis tertia quædam Idea à componendis quibuscumque diversa resultet. Quocirca, præmissis ordinis gratiâ Definitionibus, Postulatis, Axiomatibus nonnullis, expedit hanc Dissertationem in duas sectiones dividere, quarum prior sit de causis Idæarum occasionalibus, posterior verò de Idæarum efformandarum ratione.

DEFINITIONES

I.

Phantasia sive Imaginatio certa est Animæ affectio, quâ quidpiam percipimus

seu cognoscimus sine affirmatione & negatione. Simplex hæc cognitio seu perceptio negationis & affirmationis expers vulgato *Idea* nomine in sequentibus designabitur.

II.

Ideæ in varias classes solent dividi; nam
 1°. Ratione naturæ aliæ *simplices* sunt, quæ unum quid individuum repræsentant, ut *Idea* luminis, coloris, duritiei, doloris, &c.
 Aliæ vero *complexæ*, quæ res plures sub uno conceptu comprehendunt, ut *Ideæ* quæ hominem, lapidem, arborem, &c. exhibent, seu substantias his & his qualitatibus & proprietatibus indutas. Priorres *modales*, quia solos modos; posteriorres verò *substantiales* dicemus, quia substantias Menti repræsentant.

III.

2°. Ratione modi quo obtinentur, aliæ sunt *communicatæ* & simplici sensuum ministerio immediatè exceptæ, ut *Idea* luminis, coloris, hominis, lapidis, cæterorumque omnium objectorum seu rerum, quæ sensibus jam ante usurpatæ fuere; Aliæ vero *factitiæ* sunt, quæ nullis quidem sensibus propriè obtinentur, sed ex *Ideis* communicatis mediatè resultant & componuntur, ut *Idea* Chimæræ, Centauri, Montis aurei &c.

3°. Ideæ ratione modi quo res exhibent, aliæ sunt *particulares*, quæ unum individuale objectum, ut Petrum, Paulum, &c. Aliæ verò *universales*, quæ unum quid pluribus individuis commune repræsentant, ut idea hominis in genere.

V.

4°. Ratione luminis quo animam afficiunt, aliæ sunt *distinctæ & clare*, quæ animam vividiùs, & fortiùs; aliæ *confuse*, quæ obscuriùs, & debiliùs percellunt.

P O S T U L A T A

I.

Cerebrum, quod functionum animalium instrumentum est, triplici diversâ substantia componi.

I I.

Supremâ, quæ cineracei coloris est & Cerebri corticem constituit, unde *Cineracea*, & *Corticalis* dicitur.

I I I.

Mediâ, quæ albicans & supremâ firmior est, quapropter *Callosa* nuncupatur.

I V.

Infimâ tandem, quæ interjectis albican-

tis & cinereæ substantiæ radiis sive striis
variatur, unde *Striata* vocatur.

V.

Corticali substantiâ, sive per acinos glandulosos, ut Malpighio visum est, sive per ductus arteriis lateraliter hiantes, ut vult Leeuwenhoekius, secerni à sanguine lymphaticum laticem tenuem, *Spiritus animalis* nomine vulgò cognitum.

VI.

Secretum in corticali substantiâ fluidum in subjectam callosam substantiam deferri minutissimis plurimisque fibrillis, albican-
tibus, cavis, medullaribus, quæ cum callosâ substantiâ continuæ & ejusdem naturæ participes sunt.

VII.

Mediam hanc cerebri substantiam nullo fibrarum ductu, nullove ordine distinguî, sed uniformem, homogeneam, compressionis patientem, restitutionis capacem, sambuci medullæ haud dissimilem esse: quam obrem, nec inani conjecturâ, creditur consistere cellularis innumeris invicem communicantibus, distinctis tamen interjectu intercapedinum seu columnarum membranacearum, flexilium, elasticarum, vibratiliùm, quæ spiritibus circumflue sunt, & illorum.

5
quassationibus semper objectæ *Fibras Cerebri*
tantoperè decantatas constituunt.

VIII.

Spiritus à singulis cinereæ substantiæ
punctis undequaque defluos jam descriptas
callosæ substantiæ cellulas æquabiliter re-
plere, inflare, distendere, ac ne cui de-
sint loco, non modò mutuis cellularum
aperturis, sed & mechanicâ cerebri struc-
turâ perpetua inter se commercia habere,
superiores cum inferioribus per *septum lu-
cidum*, laterales cum lateralibus per *latam
cerebri commissuram*, posteriores demum
cum anterioribus per *crura, brachiaque &
radices Fornicis*.

IX.

Repletis semel hisce cellulis spiritus
inde progredi in appensas, continuasque
medullaris substantiæ strias, quæ cinereæ
substantiæ interjectæ striatam cerebri par-
tem componunt.

X.

Illas verò strias angustiores, tenuiores-
que factas & extra cerebri superficiem
prominentes prima constituere Nervorum
principia, pulposa & mollia, quæ nacta
ibi vaginulam geminam, à *piâ matre* unam,
alteram à *durâ*, foras emergunt è calvaria,

nervosque jam propriè dictos efficiunt.

XI.

Proinde *Nervos* constare fibris teretibus, firmis, compressilibus, gemino involucri non distractili munitis, quæ intus includunt substantiam callosæ substantiæ continuam, perindè medullarem & cellulosam, spirituofo fluido plenam, & eidem undique perviam & permeabilem.

XII.

Cerebellum iisdem substantiis eodem ordine dispositis constare, hoc uno discrimine, quòd substantia corticalis, quæ in cerebro in gyros contorta est similes inest in flexionibus, in cerebello in lamellas varias strictè densatas compingatur.

AXIOMATA

I.

Objecta sensifera nullas alias corporis partes movere præter Organa, in quæ agunt, & Callosam cerebri substantiam, quacum mota Organa motionem per Nervos communicant. *Patet ex Dissertatione de Sensatione.*

II.

Spiritus, qui à motis Organis ad Callosam cerebri substantiam refluunt, directo, primoque impetu, quo fibras obvias quas-

sant , sensationem excitare. Probatur ex
Dissertatione de Sensatione.

III.

Callosam cerebri substantiam Sensorium
 internum esse , & variis motionibus fibra-
 rum , quibus constituitur ex *Postulato VII*
 sensationes varias in Animâ immediate ex-
 citari. *Demonstratum fuit Propositione IX. Dis-*
sertationis de Sensatione.

IV.

Fibram unam quamlibet cerebri uni tan-
 tum sensationi destinari. *Liquet ex Corollari-*
o Propositionis XVI. Dissertationis de Sen-
satione.

V.

Corpora vibratilia, quò magis tensa sunt,
 eò fortiùs vibrari.

VI.

Chordam sive fibram quavis vibratilem,
 si eadem perstet longitudine , crassitie ,
 tensione , eodem vibrationum numero agi-
 tari intra idem tempus , seu quod idem
 est , eundem motionis tonum retinere.

VII.

Tonum succussionum , quibus fibræ ce-
 rebri quassantur , mutandum toties esse ,
 quoties fibrarum illarum tensio vel longi-
 tudo quantumlibet immutatur.

S E C T I O I.

De causis Idearum occasionalibus.

PROPOSITIO I.

Animam ideas elicere nullas, nisi pro diversis corporis dispositionibus.

Docet Experientia Animam quandoque Deas ideas, quas maximè vellet, nequaquam obtinere. Sic qui ab ortu Cæci sunt, nec de lumine nec de coloribus possunt quidquam imaginari.

Docet quoque Experientia Animam interdum præsentibus habere ideas tristitiæ v. g. doloris, mortis, &c. quas minimè vellet.

Docet denique Experientia in Maniacis ideas menti obversari absurdas, ridiculas, nec Animâ ullatenus dignas, in quam utpote spirituales neque morbus neque perturbatio ulla cadere potest.

Inde ergo manifestè arguitur Animam in imaginando à corpore pendere, ac ideas nullas elicere, nisi pro diversis ejusdem dispositionibus. *q. e. p.*

PROPOSITIO II.

Dispositiones illas, quæ ad ideas in Animâ excitandas prærequiruntur, esse motiones determinatis corporis partibus impressas.

Certum est ex præcedente, Animam ideas elicere nullas, nisi pro variis corporis dispositionibus. Sed præviam nullam dispositionem concipere possumus in determinatis corporis partibus, quæ ita mutabilis sit, ut plures ideas diversas successivè excitet, præter varias motiones partibus ipsis successivè impressas. Sequitur ergo prævias dispositiones, quæ requiruntur, ut ideæ in Animâ excitentur, esse motiones certas determinatis corporis partibus impressas. q. e. p.

PROPOSITIO III.

Motiones prævias, quæ ad ideas in Animâ excitandas requiruntur, in Callosæ substantiæ fibræ fieri.

I°. **P**atet ex Axiomate III. Callosam cerebri substantiam sensorium internum esse, & à variis motionibus fibrarum, quibus constituitur, sensationes varias in Animâ immediatè excitari. Hinc ergo pronum est & rationi consentaneum inferre

motiones, quæ ex parte corporis ad ideas excitandas requiruntur, in eadem substantiâ fieri.

III. Id evidentiùs demonstratur ex eo quòd visa objecta diversas interdùm ideas in Animâ revocent; nam evidens est ex *precedente Propositione* objecta ideas nullas in Animâ posse excitare, nisi eas concutiant partes, ex quarum determinatis motionibus determinatæ ideæ in Animâ producuntur. **III** Sed objecta nullas alias corporis partes concutunt ex *Axiomate I.* præter Organa & Callosam cerebri partem. Motiones ergo, quibus ideæ in Animâ revocantur à visis objectis, in alterutrâ ex his parte fieri debent. Sed non in Organis, quibus nullam cum Animâ communionem esse probavimus, *Dissert. de Sens.* Superest ergo ut in Callosâ cerebri substantiâ fiant, in variis videlicet fibris, quibus eam componi statuimus, ex *Postulat. VII.*

PROPOSITIO IV.

Motiones fibræ Callosæ substantiæ impressas, quibus idea excitantur in Animâ, vibratorias harum successiones esse.

HÆc propositio iisdem rationibus probatur, quibus similem de sensatione

demonstravimus, *Propos. XII. Dissert. de Sens.*

COROLLARIUM I.

Succussiones vibratorias, quibus ideæ in Animâ excitantur, fibris cerebri communicari à spiritibus qui in has incurramus, nec enim ex se possunt succuti, nec aliud quidquam est præter contiguos & undantes circumquaque spiritus, quod his succutiendis compar sit.

COROLLARIUM II.

Spiritus cerebri fibras impetere, iisque succussis Menti ideæ refricare, triplici de causâ. 1°. Solo Voluntatis imperio. 2°. Instinctivo motu, quem obtinent dum in Emporio tumultuantur. 3°. Extraneo reflexus motu, non directo tamen primoque impetu, tunc enim veras sensationes excitant *ex Axiomate II.* sed factâ prius reflexione à fibris, in quas è sensoriis restui primò impegere.

PROPOSITIO V.

Eò vividiores ideæ in Animâ excitari, quò fortior est fibrarum cerebri succussio.

DOcet Experientia vividiores ideæ in Animâ excitari corpore sano, quam corpore languido. Sed status corporis sani à statu corporis languidi in eo tantum dif-

fert ratione interni sensorii , cujus motione ideæ producuntur , quòd in illo sensorium spiritibus copiosius secretis magis turgidum sit , & sic hujus fibræ magis distinctæ impressis spirituum motibus fortius & facilius moveantur per *Axioma V.* Sequitur ergo . vividiores ideas in corpore sano excitari , quia fibræ cerebri facilius & fortius tunc succutiuntur , quam corpore languido. Licet ergo Deus Opt. Max. Animam corpori uniendo decrevisse potuerit se ex leviori cerebri motione vividiores , ex fortiori verò debiliores ideas in Animâ excitaturum , constat tamen à posteriori per experientiam Eum contrariam prorsus legem statuisse , & ex levioribus fibrarum cerebri motionibus leviores & debiliores Animæ ideas , vividiores verò ex fortioribus producere. *q. p. e.*

COROLLARIUM I.

Ideæ distinctæ & claræ , quæ Animam vividius percellunt , quam confusæ ex *Definitione V.* à vehementioribus ac fortioribus fibrarum cerebri succussionibus produci debent.

COROLLARIUM II.

Vehementia succussionum , quibus ideæ excitantur , tum ex impetu, quo spiritus in

fibras incurrunt, tùm ex fibrarum dispositione ad vibrationem æstimanda est, ac compositam proinde utriusque rationem habet.

COROLLARIUM III.

Eò clariores ergo ideæ futuræ sunt, quò cæteris paribus major erit spirituum fibras succutientium impetus, aut major fibrarum ad vibrationem dispositio.

COROLLARIUM IV.

Major est fibrarum dispositio ad vibrationem, 1°. Quò major est earum tensio per *Axioma V.* 2°. Quò frequentius jam prius vibratæ fuere; iteratâ enim succussione flexiliores fiunt ac facilius deinde obviis spiritibus obsequuntur.

COROLLARIUM V.

Hinc est, quòd ideæ rerum, quæ jam ante sensibus sæpius objectæ fuere, aut imaginatione exceptæ, clariores sint magisque distinctæ, quàm rerum ideæ, quæ sensibus & imaginatione rarò perceptæ sunt.

PROPOSITIO VI.

Fibras Cerebri easdem & sensibus & ideis rerum earundem excitandis destinari.

HÆc propositio tantam verisimilitudinis speciem præ se fert, ut ex se sola

Postulati instar jure posset assumi. Cum enim sentire & imaginari Animæ affectiones sint ejusdem prorsus naturæ, & quæ solo acumine seu vividitate discrepare videantur, satius est statuere Deum simplicitatis summè amantem sentiendis & imaginandis iisdem objectis easdem fibras assignasse, quam inutili profusione diversas duas fibras, sensui unam, alteram imaginationi earundem rerum, præfixisse. Ne tamen morosior Lector hujus propositi veritatem ægriùs admiserit, id sequenti methodo licet operosiore, demonstrandum censuimus.

Certum est à posteriori constanti experientiâ ideas rerum quarumlibet, quæ sensibus sæpiùs objectæ fuere, vividiores esse ac clariores, quam ideæ rerum quæ sensibus rarò perceptæ sunt. Fibræ ergo his ideis representandis dicatæ vehementiùs debent succuti *ex Præcedente*. Sed vehementior fibrarum succussio producitur *per Corollarium II. Præc. Prop.* vel à majori spirituum incurrentium impetu, vel à majori fibrarum dispositione ad vibrationem. Ab alterutro ergo repetenda est fortior hæc fibrarum succussio. Verùm non à vehementiori spirituum motu. Hinc enim cætera

quoque fibræ eidem impetui obviæ vehementius quassarentur, atque adeò ideæ omnes inde excitatæ vividiores forent, quod contra experientiam est, quâ constat, immutatis reliquis, solam tantùm intendi ideam rei, quæ frequenter sensu excipitur. Debet ergo vehementior hæc succussio in allato casu à majori fibrarum dispositione ad vibrationem deduci. Fibræ autem vibrationi magis dispositæ sunt *ex Coroll. IV. præced.* vel quia sunt magis tensæ, vel quia frequentius vibratæ, iteratis succussionibus, flexiliores fiunt. Sed in isto casu major fibrarum dispositio in majorem tensionem refundenda non est: nam fibræ cerebri non tenduntur nisi ab uberiore spirituum quantitate, quæ circumquaque cumulata sit. Verùm in allato casu spiritus versus determinatas fibras nec copiosius fluunt particulari Voluntatis imperio, quod tunc nullum supponitur; nec copiosius ibi cumulantur, quia uberius secreti cellulosæ callosæ totius substantiæ ergastula magis replent, totumque cerebri meditullium magis tument faciunt; tunc enim non una tantùm, sed omnes simul cerebri fibræ deberent distendi, omnesque ideæ vividiores redderentur. Hæc ergo major dispositio ex eo repeten-

da superest, quòd fibra hæc frequentius jam vibrata ob repetitas sensationes facilius incurrentibus spiritibus obtemperat. Statuendum ergo spiritus, qui ab Organis reflui sensum producant, fibras quoque vibrare ac concutere, quæ imaginandis iisdem rebus dicatæ sunt. Has autem fibras concutiunt vel directo saltu primoque impetu, ut in fibra *A*; vel saltu tantum iterato, nempe à fibra *A*, cujus motiones sensum excitant, reflexi in fibram alteram *B*. Sed posterius experientiæ repugnat: nam inde post excitatam in Animâ rei cujusquam sensationem ex percussâ fibrâ *A*, rei ejusdem idea seu imaginatio successivè semper excitaretur ex quassatâ fibrâ alterâ *B* à spiritibus, qui ex fibrâ *A* illuc necessario resiliunt. Evidens est ergo fibram hanc, quæ rei cuilibet imaginandæ destinatur, primo impetu à refluvis spiritibus concuti. Sed ex *Axiomate IV.* fibra cerebri, quam reflui spiritus primo impetu feriunt, sensui excitando dicata est. Fibra ergo, quæ rei cuidam sentiendæ inservit, eadem est ac fibra, quæ rei eidem imaginandæ comparata est.

PROPOSITIO VII.

Fibrarum succussiones, quibus Imaginatio fit, debiliores esse fibrarum succussionibus, quibus Sensatio excitatur.

1°. **A** Nima, dum imaginatur, debilius afficitur, quam dum sentit. Cum ergo vividitas & acumen affectionum animæ sequatur vehementiam, quâ succutiuntur fibræ, quarum motione fiunt, *ex Propositione V.* consequens est fibras ad Imaginationem debilius succuti, quam ad Sensum.

2°. Spiritus post unicam reflexionem majori motu moventur, quam cum duabus aut pluribus reflexionibus vis eorum fracta est. Sed spiritus refluï à Sensoriis sensum producant, fibras impetendo post unicam tantum reflexionem, quæ in parte solidâ Cerebri facta sit, *per Lemma III. Dissertationis de Sensatione*: ideas verò menti excitant post duas pluresve reflexiones; uti accidit dum visa res quæpiam rei alterius antea visæ ideam menti refricat. Sequitur ergo spiritus fibras impetere ad Sensum majori motu quam ad Imaginationem. Sed *ex Corollario II. Propositionis V.* quò major est Spirituum incurrentium impetus, eò major est vehementia succussionum fibris

impressarum. Evidens est ergo fibrarum succussiones, quibus Sensus inducitur, vehementiores esse succussionibus fibrarum earumdem, quibus Idæ excitantur, seu Imaginatio fit. *q. p. e.*

COROLLARIUM. I.

Hinc inferes fibræ eandem rei unicuique percipiendæ destinari per Sensem, si vehementius percutiatur: per Imaginationem verò simplicem, si debilius vibretur; atque adeò sentire & imaginari functiones esse, quæ ex parte tum Animæ, tum interni sensorii, inter se tantum discrepent secundum magis & minus.

COROLLARIUM. II.

Inde est, quòd sensationes, quæ debilissimæ sunt, ad imaginationem solam tam proximè accedant, ut ab eâ vix possint distinguì; sicut observatur in Lipothymiâ laborantibus, qui tandem sui compotes, quæ syncope tempore ob ipsorum oculos gesta fuere, se imaginatos esse autumant: & in Somnambulis, qui eâ, quæ revera fecere, somniatos se esse arbitrantur.

COROLLARIUM. III.

Imaginatio verò ratione contrariâ in veram sensationem degenerat, si fibra validius fortiusque succutiatur à spiritibus Co-

rebra incolis, uti accidit in Somniantibus,
Delirantibus, Maniacis, Phreneticis &c.

COROLLARIUM IV.

Inde est, quòd attenta cujuslibet rei meditatione, aut ardens desiderium, auctâ sensim per repetitas succussiones vehementiâ, quâ fibræ vibrantur, juxta Corollarium IV. Propositionis V. hujus tandem rei existentiam suadeat, sicut in Fanaticis observatur, iisque qui magicas artes se callere falso asseverant, etiam vitæ periculo.

PROPOSITIO VIII.

*Fibræ unicam excitandæ unius tantum rei
idea destinari.*

Fibra eadem imaginandæ & sentiendæ rei eidem destinatur, ex Propositione VI. Sed per Axioma IV. fibra unica uni tantum rei sentiendæ dicata est. Ergo unica quoque fibra uni tantum rei imaginandæ destinatur. q. p. e.

PROPOSITIO IX.

Succussiones earundem fibrarum, licet tono discrepent, ideas non naturâ diversas, sed easdem semper menti referre.

Nam rerum ideæ, si naturâ diversæ fierent ab earundem fibrarum succus-

tionibus , quæ tono discreparent , immutan-
 da forent prout succussionum tonus im-
 mutaretur , quod est contra Experientiam :
 Constat enim *ex Axiomate VII.* succussionum
 tonum mutandum toties esse , quoties fibra-
 rum tensio vel longitudo quantumlibet
 immutatur. Sed tensionem & longitudi-
 nem fibrarum pluries in die immutari ne-
 cessum est , prout spiritus plures vel paucio-
 res fecernuntur , aut æquali copiâ secreti
 plus minùsve dissipantur. Ergo tonus suc-
 cussionum pluries in die mutandus est. Re-
 rum tamen ideæ eadem semper perstant ,
 nec naturâ unquam , sed solo acumine dif-
 ferunt. Evidens est ergo à succussionibus
 earumdem fibrarum tono differentibus non
 diversas rerum ideas , sed easdem excitari.
q. p. c.

SCHOLIUM.

Sit idea quælibet , Luminis verbi gra-
 tiâ , quæ fibrâ quâvis dato modo succussâ
 exciteretur ; auctâ semel vel imminutâ hu-
 jusce fibræ tensione aut longitudine à
 spiritibus copiosius parciùsve secretis , suc-
 cussionum tonum , quibus vibratur , immu-
 tari necesse est ; nec tamen diversa est , quæ
 inde exciratur Luminis idea. Nam si hæc
 ita forent , nulla esset Luminis perceptio.

cùm ea fibra eo quo antea tono vibrari nequaquam tunc possit, nec queat ejus defectum altera quæcumque supplere, cùm unica ea fibra sit, quæ excitandæ Luminis idæ destinatur, *per Propositionem præcedentem.*

PROPOSITIO X.

Ideas naturâ diversas à diversarum fibrarum succussionibus posse excitari, quæ tono planè similes sint.

S Int fibræ duæ quælibet A & B, quæ res duas naturâ diversas A & B menti præsentent: certum est, *ex Præcedente*, fibræ A rem eandem A semper repræsentaturam, quocumque modo vibretur; certum quoque pari ratione fibræ B ideam eandem menti relaturam, qualescumque fuerint hujus succussiones. Possunt ergo fibræ illæ A & B, subsultus tono planè similes seu consonos edere, resque tamen naturâ diversas repræsentare. *q. p. e.*

COROLLARIUM I.

Ex posterioribus hisce Propositionibus consequens est rerum ideâs, non determinatis fibrarum succussionibus, sed determinatis fibris alligari; Cùm *ex præcedente Propositione*, fibra eadem succussa eandem sem-

per ideam excitet, licet succussiones diversæ fuerint ; Contrà verò *ex istâ Propositione* diversæ ideæ fiant à succussis diversis fibris , licet eodem modo succutiantur.

COROLLARIUM II.

Idearum itaque *identitatem & diversitatem* à succussionum similitudine aut dissimilitudine nequaquam repetendas esse, sed à fibrarum ipsarum , quibus excitamur , *identitate & diversitate*.

COROLLARIUM III.

Totidem ergo diversas fibras in interno sensorio statuendas esse , quot ideæ naturâ diversæ in Animâ possunt excitari.

COROLLARIUM IV.

Falsam proinde esse Eorum hypothesim , qui ne nimiam fibrarum multitudinem videantur obtrudere , malunt asserere fibræ unam pluribus rebus diversis representandis sufficere, diversis suis succussionibus , ut sic fibrarum omnium numerum ad pauciores contrahant.

Sed 1°. Tantus non est , ac Illi credunt, fibrarum numerus , quem in nostrâ sententiâ cogimur admittere ; totamque hanc fibrarum multitudinem , quæ videtur diversa sentientibus tantum negotium facessere paucis sanè numero comprehendi infra demonstrabimus.

2°. Esi tota hæc fibrarum multitudo foret necessario admittenda, rejicienda tamen semper esset horum hypothesi; cum contrarium adstruat iis, quæ suprà probavimus, *Propositione IX.* diversas scilicet earundem fibrarum succussiones easdem Ideas menti referre.

3°. Demùm in hac hypothesi æquè magnus ac in nostrâ fibrarum numerus in cerebro supponi debet; nam certum est ex *Axiomate IV.* fibrâ unâ quâlibet uno tantùm modo succuti posse ratione toni, quamdiù hujus crassities, tensio & longitudo eadem perstant. Sed fibrarum crassities, tensio & longitudo eadem aliquando perstant saltem per tria quatuorve instantia; neque enim credibile est cerebrum in eodem statu numquàm posse per instantia duo successivè permanere. Debet ergo fibra una quâlibet per tria hæc quatuorve instantia uno tantùm modo succuti, atque adeò rem unâ tantummodò repræsentare. Quot itaque idæ diversæ menti recurrunt, vel possunt recurrere per id temporis spatium, totidem diversæ fibræ in interno sensorio statuendæ sunt. Sed idæ omnes, aut hæ aut illæ possunt tunc temporis pro Animæ lubitu menti recurrere. Ergo necesse est ut vel

inviti confiteantur ideas omnes tunc à diversis fibris excitari, atque adeò quot ideæ menti possunt adesse, fibras totidem distinctas in interno sensorio esse.

SCHOLIUM.

Magna inde oritur difficultas horum ratione, qui à nativitate cæci sunt; nam 1°. Juxta nos adsunt in interno illorum sensorio peculiæres fibræ, quæ luminis, coloribus, cæterisque rebus repræsentandis dicatæ sint, quæ visu percipiuntur. 2°. Fibræ illæ, si succussæ sint, luminis, colorumque Ideas menti debent referre, quomodocumque succutiantur. 3°. Demùm hæ fibræ, cùm spiritibus circumquaque undantibus æquè ac cæteræ obviæ sint, debent ab iisdem pari ratione succuti. Deberent ergo ii, qui à nativitate cæci sunt, si non sensum, quia debilior est motus fibræ impressus, saltem luminis colorisque ideam experiri, quod tamen experientiæ adversatur: nam & illi planè ignari sunt quid homines cæteri per lumen coloresque intelligant, & si tandem aliquandò arte vel casu visus compotes fiant, se horum tùm sensum, tùm ideam planè ignorasse confitentur.

Neque tamen hæc difficultas sententiæ nostræ propria est; sed in ipsam quoque hy-

pothesim cadit, quam suprà refellimus. Nam juxta eam certa adest interno sensorio fibra in iis, qui à nativitate cæci sunt, quæ si determinato modo succutiatur, luminis colorisque ideam menti excitet. Cum ergo spiritibus undequaque impetatur, determinato illo modo succutienda videtur, & in mente proinde luminis aut coloris ideam excitatura, in iis, qui cæci sunt, non minori jure, quam ubi semel lumen aut colores sentire. Illorum itaque, qui eam opinionem tuentur, non minùs quàm nostrâ interest allatam difficultatem dirimere & expedire.

PROPOSITIO XI.

Explicare, quâ ratione in iis, qui à nativitate cæci sunt, fibræ, quæ lumini, coloribus &c. repræsentandis dicatæ sunt, otiosæ permaneant, nec harum rerum ideas menti unquàm offerant.

INtricatior est hujus difficultatis enodatio, quam ut certi quidquam definire liceat, sufficietque in re tam arduâ meris conjecturis nodum resolvere. Ideæ itaque luminis, colorum, &c. cæcis abesse non possunt, nisi ex triplici capite. 1°. Vel quia fibræ his repræsentandis dicatæ non vibrantur vi eâ, quæ ad Imaginationem sufficiat. 2°. Vel quia licet vibrentur, Ideas tamen nul-

las excitant. 3°. Vel quia licet vibrētur, Ideasque proprias referant, cæci tamen quid experiantur ignorant, nesciuntque cæteros id luminis, colorumque nomine intelligere; atque adeò sanati se similes perceptiones nunquam ante habuisse jure affirmant.

1°. Si fibræ lumini & coloribus repræsentandis dicatæ non vibrentur vi sufficiente, id a parte spirituum repetendum non est, qui in eas incurrunt eodem quo in cæteras impetu; sed ex propriâ fibrarum dispositione, quâ incurrentibus spiritibus magis obnituntur. Propria autem harum fibrarum dispositio à cæterarum dispositione in cæcis in eo tantum differt, quòd hæ sensiferis refluxibus semel vel pluries quassatæ, atque inde flexibiliores spiritibus faciliùs succutiantur, uti vimen sæpiùs contortum minori vi deinde incurvatur; illæ verò nunquam ante succussæ rigidiores sint & impresso à spiritibus motui difficiliùs obsequantur. Si ergo fibræ, quæ lumen coloresve repræsentant, inertes in cæcis remanent, id indè deducendum est, uti sequenti exemplo liquidò constabit. Sit fibra *A*, quæ sensifero refluxu quassata eum acquisierit flexibilitatis gradum, ut à spiritibus cerebri incolis possit deinde succuti

Evidens est fibram *B*, quâ lumen repræsentatur, esse datâ fibrâ *A* in cæcis rigidiorē, cum nunquàm succussa supponatur. Impetus itaque spirituum, qui fibræ *A* succutiendæ sufficit vi eâ, quæ ad Imaginationem requiritur, fibræ *B* vi eâdem succutiendæ impar futurus est, atque adeò nulla inde prorsus erit in cæcis Imaginatio luminis, cui referendo fibra *B* destinatur.

Verùm, licet hæc in naturali statu vera sint, dùm tranquillus est pacatusque spirituum motus, qui in emporio hospitantur, convenire tamen non videntur, dùm in præternaturali statu vehementiùs tumultuantur, ut in Maniacis. Nam si tunc spiritus fibras cæteras tanto impetu succutiant, ut sensus hinc inducatur, hæc fibras eâ saltem vi debent concutere, quæ Imaginationi excitandæ sufficiat. Tunc ergo vel ab invitis statuendum est, fibras hæc determinatas, licet vi sufficienti concutiantur, lucis tamen colorumque Ideas non excitare, vel si has Ideas excitent, cæcos tamen prorsus ignorare, quo nomine sint denominandæ perceptiones, quas tunc experiuntur.

2°. Si fibræ, quæ lumen coloreve repræsentant, sufficienter quassari supponan-

tur, luminis colorumque Ideæ in cæcis deesse non possunt, nisi ex libero D E I placito, qui sanxisse supponatur se succussis fibris quibuscumque, rerum his alligatarum Ideas in mente excitaturum, modò prius sensu fuerint perceptæ. Hujus nempe conditionis defectu nulla fiet in Cæcis luminis colorumque Idea, licet fibræ his repræsentandis destinatæ vi sufficienti succutiantur. Verùm ea solutio vix unquam arriserit: neque enim generales D E I animam corpori unieatis leges absque gravi necessitate, quæ hîc nulla est, exceptionibus sunt coarctandæ, quæ aliqualem semper impotentiam videntur sapere.

3^o Facilius itaque crediderim succussis à vehementiori spirituum motu fibris, quæ lumen coloresque repræsentant, harum rerum Ideas in Cæcis verè excitari, sed ignorare Eos, id quod tunc experiuntur, luminis vel colorum nomine appellari. Sic v. g. si Cæco, cui sani sint nervi optici, ictus in oculum fortior infligatur, fiet hinc scintillarum, lucisque proinde sensatio, uti sanis contingit; nec tamen se lucem experiri sciet, nam de sensationum nomenclaturâ non convenimus, nisi simultaneâ experientiâ, id videlicet, quo eodem tempore

& ab eâdem causâ afficimur, eâdem appellatione denominando. Cæci autem à nativitate cum cæteris hominibus de lucis colorisque denominatione consentire nunquam potuerunt; atque adeò horum Ideas obtinere possunt, licet inscii.

Quod si sanati se nunquam perceptiones expertos esse profiteantur, similes illis, quas tunc obtinent, id ex eo fit quòd lucis colorumque Ideæ, quas forsan habuere, ita obscuræ & confusæ erant, ut si eas præsentì sensationi comparaverint, jure videantur se nihil olim simile percepisse, aut expertos esse. Adde quòd si ullam unquam lucis, colorumve Ideam obtinere, id à vehementiori spirituum motu dependebat, qualis est in Phrenitide aut Maniâ. Pacato itaque horum impetu, in statu naturali hæc res imaginari denuò non possunt, nec se eas olim imaginatos fuisse recordari, cum memoria rei per Imaginationem perceptæ iterata sit rei ejusdem Imaginatio.

S E C T I O II.

De Idearum efformandarum ratione.

P R O P O S I T I O I.

*Ideam quamlibet simplicem à distinctâ suâ
propriâque fibrâ excitari.*

IDeæ simplices quælibet per Definitionem unum quid individuum repræsentant, atque adeò inter se invicem planè diversæ sunt atque discretæ. Sed ex Coroll. 3. Propr. 10. Sect. 1. Ideæ diversæ à diversis distinctisque fibris producuntur. Ideæ ergo quælibet simplices à propriis distinctisque fibris excitantur. q. p. e.

C O R O L L A R I U M I.

Inde sequitur totidem ad minimum distinctas in interno sensorio fibras esse, quot Ideæ simplices menti possunt recurrere.

C O R O L L A R I U M II.

Ideæ omnes simplices verè modales sunt, uti suprâ innuimus, merosque existendi modos repræsentant, sive Substantivis Nominibus, ut sunt *frigus, calor, odor, amor, auditus, &c.* sive Verbis, qualia sunt *audire, legere, dare, &c.* significantur,

PROPOSITIO II.

*Ideas compositas seu complexas diversis totidem
fibris excitari, quot Ideas simplices
complectuntur.*

I Deæ compositæ per Definitionem Ideas
plures simplices uno conceptu compre-
hendunt. Sed idea quælibet simplex suâ
distinctâ fibrâ excitatur, ex *Præcedente*. Er-
go ideæ quæcumque compositæ producun-
tur fibris totidem distinctis, quot simpli-
ces ideas suo conceptu comprehendunt.

COROLLARIUM I.

Inde colliges ex paucioribus fibris, qui-
bus ideæ simplices, quæ paucæ sunt, re-
præsentantur, infinitum fermè composita-
rum numerum, combinationibus diversis,
resultare, sicut ex viginti quatuor litteris
voces numero ferè infinitæ ordine vario
componuntur.

COROLLARIUM II.

Sicut voces aliæ pluribus litteris, aliæ
verò paucioribus sunt; sic quoque com-
plexas ideas, modò plures, modò pau-
ciores ideas simplices suo conceptu
complecti.

COROLLARIUM III.

Ideæ compositæ aliæ unâ tantum voce,

aliae pluribus exprimuntur. Quæ unâ tantum voce significantur, vel Adjectivis respondent, ut *Bonus, Justus, &c.* quod idem est ac si barbarè diceret, *Habens bonitatem, Amans justitiam, &c.* vel Substantivis; & illæ rursus duplicis generis sunt, nam Substantiva modò res positivas & reales designant, siue universales sint, ut *Homo, Animal, &c.* siue particulares seu individuales, ut *Petrus, Paulus*; modò verò relationes tantum seu rerum respectus significant, ut *Justitia, Virtus, Modestia &c.* Prioribus, *Homo, Petrus*, sic resolvuntur *Substantia his aut his qualitatibus instructa*; Posteriores verò, ut *Justitia*, per definitionem exponuntur, ut cum ideæ *Justitiæ* substituimus ideam *Constantis & perpetue voluntatis jus suum cuique tribuendi*. Quæ verò pluribus vocibus, seu phrasi integrâ ex substantivo & adjectivo constructâ exprimuntur, infinitæ fermè sunt, ut *Deus justus; Deus creans Mundum; Cæsar eorum victor, qui Pompeii partes secuti sunt.*

COROLLARIUM IV.

Evidens inde est compositas ideas solas posse defini, seu per periphrasim exprimi, expositis ideis singulis simplicibus, quibus componuntur: ideas verò simplices defini nequaquam posse, seu per genus & differentiam

rentiam exprimi, cum unum quid & individuum repræsentent *per definitionem*.

COROLLARIUM V.

Ex ideis compositis, uti supra innuimus, aliæ res repræsentant quæ sensibus objectæ fuere, ut *idea Petri, Pauli, &c.* & *Communicatæ*: aliæ verò res, quæ numquam sensu perceptæ sunt, ut *idea Chimære, Centauri &c.* & *Factitiæ* dicuntur.

PROPOSITIO III.

Ideas omnes factitias ex communicatis ideis mediatè produci.

Potissima hujus ratio ex eo petitur, quòd si factitiæ ex communicatis non resultarent, posset Anima pro nutu ideam effingere dissimilem prorsus ac disparem ab ideis omnibus, quas sensibus hausimus. Sed experientia impossibile id esse docet; nam omnia quæcumque imaginamur, analogiam semper aliqualem obtinent cum ideis sensibus perceptis. Sequitur ergo ideas omnes factitias ex communicatis ideis resultare; quod probandum erat. Verùm cum eam quæstionem multis pro rei dignitate tractare non permittat instituti nostri ratio, videndum hac de re consulimus D. Locke

De Intellectu humano, qui hujus asserti veritatem doctè & eruditè demonstrat.

COROLLARIUM I.

Vulgatum itaque Axioma Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, nulla quidem à priori demonstrat ratio; sed à posteriori tantum docet experientia. Potuisset enim summus Creator Deus spiritus incorporei ideam æquè vividam in mente excitare ex motu unâ Emporii fibrâ, ac est corporis idea, quæ succussis propriis fibris excitatur. Sed id Eum noluisse evidens facit experientia, quâ constat nos spiritum, ut incorporeum, nec imaginari, nec concipere ullatenus posse.

COROLLARIUM II.

Ideæ factitiæ ex communicatis efformantur via multiplici.

1°. *Compositione*, ut dùm ex conjunctis ideis diversis *Homini* & *Equi*, *Centuri* ideam habemus.

2°. *Ampliatione*, uti quando ex noto vulgaris *statura* *Homine*, *Gigantem* numquam visum concipimus.

3°. *Imminutione*, ut cùm ex notâ vulgaris *homini* ideâ *Nanum* imaginamur, quem nunquam vidimus.

4°. *Comparisonem*, uti dùm ex cognitâ

urbe quadam , urbem aliam nobis repræsentamus , quæ vicis aliis alio modo dispositis pervia sit , & domibus instructa diverso modo ædificatis.

5°. *Abstractione vel Divisione* , uti quando ex notis pluribus individuis, *Petro, Paulo*, ideam *hominis in genere* efformamus.

PROPOSITIONO IV.

Ad compositionem idearum duo requiri ,

- 1°. *Ut fibræ totidem cerebri succutiantur, quot ideas simplices composita idea complectitur.* 2°. *Ut simul & eodem tempore succutiantur.*

P Ars hujus Propositionis prior ex Propositione *II.* evidens est : Posterior verò demonstratur ex eo quod fibræ diversæ , quæ *Leonis* v. g. *Caprae* & *Serpentis* ideas excitant , quibus composita *Chimære* idea resultat , vel successivè & aliæ post alias : vel eodem tempore succutiantur. Sed si successivè & aliæ post alias succuterentur ; distinctas ac separatas penitus ideas producerent *Leonis* , *Caprae* , & *Serpentis* , quæ menti successivè recurrerent aliæ post alias , quod in compositâ ideâ locum non habet , cum in hac particulares omnes ideæ menti simul eodemque tempore recurrant , nec di-

verfas sed unam tantum complexam ideam constituent. Sequitur ergo ad idearum compositionem fibras cerebri, quarum motio requiritur, omnes simul eodemque tempore succutiendas esse. *q. p. e.*

COROLLARIUM I.

Simultanæ fibrarum motiones, quibus producitur idea composita, quæ res sensibus objectas, *lapidem v. g. plumbum &c.* repræsentat, fiunt à simultaneis refluxibus spirituum, qui singulas impressiones à variis lapidis aut plumbi qualitatibus factas in organa ad cerebrum referunt.

COROLLARIUM II.

Simultanæ verò fibrarum motiones, quibus producitur idea composita res sensibus nunquam usurpatas exhibens, producuntur à simultaneis spirituum in Emporio hospitantium motibus in plures distinctas cerebri fibras. Simultanei autem spirituum motus modò à necessariis causis dependent, modò verò liberis Animæ volitionibus imprimuntur.

PROPOSITIO V.

Ideas quæ fiunt per Ampliationem, ad Compositionem reducendas esse.

IDeæ per ampliationem fieri dicuntur, cum ex ideâ notæ rei cuiuspiam, ad

novam alteram ideam rei similis, sed majoris & numquam visæ devenimus; ut v. g. cum ex notâ ideâ *hominis vulgaris stature* ad ideam *Gigantis* seu hominis decem pedes alti nunquam visi ascendimus. Id autem fit uniendo notas ideas hominis & altitudinis decem pedum. Sequitur ergo ideas, quæ per Ampliationem efformantur, ad Compositionem reducendas esse. *q. p. e.*

COROLLARIUM I.

Eâ ratione aliqualem Dei conceptum efformamus, Agens notis agentibus perfectius & perfectius concipiendo. Sic quoque aliquam infiniti ideam habemus, quantitate, quæ nota sit, majorem & majorem imaginando.

COROLLARIUM II.

Hinc evidens est nos adæquatam nullius infiniti ideam posse obtinere; nam infiniti idea, quam solam habemus, idea est finitæ quantitatis sæpius repetitæ; cum autem quantitatem eam in infinitum non possimus reperere, idea quæ indè efformabitur, quantitatem semper finitam debet repræsentare; infinitam ergo quantitatem imaginari non licet, sed quantitatem tantum finitâ quacumque datâ majorem, utcumque ipsa semper finita sit; verum

mens iteratis repetitionibus ad talem ideam efformandam requisitis fatigata, imò potius oppressa se infiniti tandem ideam adeptam esse falsò existimat.

PROPOSITIO VI.

Ideas, quæ per Diminutionem obtinentur, ad Compositionem revocandas esse.

IDeæ per Diminutionem dicuntur obtineri, cum ex notâ rei cujusdam ideâ rei alterius ignotæ, sed similis & minoris conceptum formamus; ut cum ex ideâ hominis vulgaris stature ideam effingimos Nani seu hominis bipedalis nunquam visi. Id verò fit notas hominis & altitudinis bipedalis ideas conjungendo. Evidens est ergo ideas, quæ per Diminutionem formantur, Compositione propriè dictâ effici.

COROLLARIUM I.

Sic ex noti Animalis cujuslibet ideâ, animalculi minimi seu Acari ideam adipiscimur; & ex noto conceptu minimæ materiæ portionis, quæ sub sensus cadat, inconspicuæ Atomî conceptum formamus.

COROLLARIUM II.

Sequitur hinc ideam Atomî etiam minimæ extensionem semper aliqualem suo conceptu complecti; cum composita sit ex ipsis ideis materiæ & extensionis determi-

natae, licet minima esse supponatur, quam possimus imaginari.

PROPOSITIO VII.

Ideas, quae per Comparationem efformantur, verâ Compositione fieri.

Nam ideae per comparationem dicuntur obtineri, dum v. g. ex notâ urbis cujusdam ideâ urbem aliam concipimus vicis diversimodè perviam & alio ordine dispositam. Evidens verò est id verâ compositione fieri, notam urbis ideam cum notâ diversi ordinis ideâ conjungendo.

COROLLARIUM.

Sic ex notâ Animalis ideâ, monstri numquam visi ideam effingimus, membra, quibus Animal quodvis naturaliter instruitur, inasfucto planè ordine per imaginationem disponendo.

PROPOSITIO VIII.

Ad idearum Divisionem duo requiri. 1°. Ut quot ideae in mente supersunt ex pluribus ideis simplicibus, quae compositum rei per sensus notae conceptum efformant, tot in cerebro succutiantur fibrae. 2°. Ut quiescant fibrae aliae, quae ceteras menti solent refricare conceptûs hujus ideas, quae tunc non excitantur.

AD idearum Divisionem seu Abstractionem debent ex pluribus ideis simpli-

cibus, quæ conceptum complexum per sensus notum efformant, nonnullæ seligi & in mente retineri, deletis vel semotis cæteris; ex ideis v. g. pluribus, quæ compositas *Petri* & *Pauli* ideas constituunt, ex tantum debent menti refricari, quæ proprietates utrique communes repræsentant, ut sunt *idea substantia viventis*, *ratione pollentis*, *motibus automatis prædita* &c. quibus nova resultet complexa *idea hominis in genere* seu universaliter sumptis; cæteræ verò negligi, vel abesse, quæ particulares alterutri individuo proprietates exhibent, ut *albedinem* vel *nigrorem*, *maciem* vel *pinguedinem* &c. Sed 1°. Ideæ simplices, quæ in Animâ supersunt, excitari non possunt, nisi determinatæ totidem fibræ in cerebro succutiantur, per primam Propositionem hujus Sectionis. 2°. Ideæ cæteræ res individuo cuilibet proprias repræsentantes abesse non possunt, nisi quia quiescunt fibræ cerebri ideis illis excitandis dicatæ. Sequitur ergo ad idearum Divisionem seu Abstractionem requiri, ut totidem fibræ cerebri succutiantur, quot ideæ in Animâ supersunt, cæteræ verò quiescant. q. b. e.

COROLLARIUM I.

Eâ viâ formantur conceptus omnes uni-

versales , ut *Hominis* , *Animalis* , *Lapidis* &c. ex compositis ideis individuorum , quæ nota sunt ; simplices ideas semovendo , quæ proprietates individuis particulares repræsentant , & illas tantum retinendo quæ exhibent ea , quæ cunctis individuis sunt communia.

COROLLARIUM II.

Fibræ, quæ communes individuis proprietates repræsentant , in idearum abstractione seu divisione solæ succutiuntur , quiescentibus cæteris , quæ particulares singulis individuis qualitates referunt ; quia priores, cum à singulis quibuscumque individuis moveantur, multò frequentius quassatæ sunt quàm posteriores , quæ ab uno tantum aut altero individuo concutiuntur , atque adeò iteratis motionibus, quas passæ fuere, flexibiliores factæ eo spirituum impetu facilè vibrantur , qui cæteris concutiendis non sufficiat.

FINIS.

*Cette These a voit esté precedée de
deux autres. V. Recueil des Theses de
M. Astruc*

1811
1812
1813
1814
1815
1816
1817
1818
1819
1820
1821
1822
1823
1824
1825
1826
1827
1828
1829
1830
1831
1832
1833
1834
1835
1836
1837
1838
1839
1840
1841
1842
1843
1844
1845
1846
1847
1848
1849
1850
1851
1852
1853
1854
1855
1856
1857
1858
1859
1860
1861
1862
1863
1864
1865
1866
1867
1868
1869
1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900

1901
1902
1903
1904
1905
1906
1907
1908
1909
1910
1911
1912
1913
1914
1915
1916
1917
1918
1919
1920
1921
1922
1923
1924
1925
1926
1927
1928
1929
1930
1931
1932
1933
1934
1935
1936
1937
1938
1939
1940
1941
1942
1943
1944
1945
1946
1947
1948
1949
1950
1951
1952
1953
1954
1955
1956
1957
1958
1959
1960
1961
1962
1963
1964
1965
1966
1967
1968
1969
1970
1971
1972
1973
1974
1975
1976
1977
1978
1979
1980
1981
1982
1983
1984
1985
1986
1987
1988
1989
1990
1991
1992
1993
1994
1995
1996
1997
1998
1999
2000

1811



DE FEBRIBUS

IN GEMERIS

AVANTIS A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate
A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate
A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate

P. R. 1705

A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate
A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate
A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate



A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate
A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate
A. D. 1705
Apothecarius in Hospitali
et in Civitate